FLORA.

№ 29.

Regensburg. 1. August. **1861.**

Inhalt. ANTIKRITIK. Th. M. Fries, Lichenes Arctoi, a W. Nylandro conscriptas. — Société de secours des amis de sciences. — C. Billot, Flora Galliae et Germaniae exsiccata. — LITTERATUR. Dr. M. Seubert, die Pflanzenkunde in populärer Darstellung etc. — GETROCKNETE PFLANZENSAMMLUNGEN. Dr. L. Rabenhorst, Lichenes Europaei exsiccati. — PERSONALNOTIZEN. — VERKAEUFLICHE PFLANZENSAMMLUNGEN — VERZEIHNISS der bei der k. botanischen Gesellschaft eingegangenen Beiträge.

Animadversiones circa Th. M. Fries, Lichenes Arctoi, a W. Nylandro conscriptas, examinat hujus opusculi Auctor.

Pictori veluti non omnino absoluta videtur ipsius tabula, antequam vernice obducta resplendeat, ita mihi, consuetudine edocto, nullum meum opusculum finitum, antequam „animadversionibus" Cl. Nylandri est superfusum. Tela igitur, more jam omnibus cognito, in Lichenes meos arctoos conjecta (Flora n. 24) imparatum me non attigerunt; quin contra jam diu illa exspectavi. Quas animadversiones quum examinare et refellere nunc mihi in animo est, minime vana quadam spe ducor, ut illum erroris convincam, nam expertus novi, permagnam haud raro esse similitudinem inter trita illius argumenta (v. c. de „membrana interiore thecarum", „thecis jodo tinctis", „nucleis sporarum" cet., de quibus cfr. Bot. Not. 1857 n. 11, Flora 1857 n. 47 et 1858 n. 32) atque hircos dei Thor, qui (ut narrat veterum Normannorum mythologia), vespere mactati et comesti, crastino die reviviscebant alacres impavidique.

Opus Cl. Nylandri ultimum quum mihi contigit perlegere, delectatione statim repletus sum, illum in libro adeo „prolixo" ac Lich. Arct. non graviora invenisse vitia; miror deinde accessit, quod hac vice (ut semper) levissimas modo quasdam res aggressus est neque principia, quibus nititur differentia inter ipsius aliorumque sententias. Qualis enim progrediendi modus mihi saltem videtur utilior scientiae atque etiam — suas opiniones (v. c. de praesentia specierum adeo polymorpharum ut „*Lecidea vernalis*, *luteola*, *Verrucaria*

rupestris" cet., de generum limitatione, de systematica dispositione atque praecipue de rationibus, quibus commotus genera ad unam alteramve seriem — adscendentem et descendentem — referat e. s. p.) comprobare, aliorum refellere si valeat — illi ipsi, nam centies milliesve iterata verbisque acerbis, non rationibus sufficientibus, suffulta affirmatio vix ullum lichenologum de praestantia systematis Nylanderiani persuadere potest; jam praeterlapsum est tempus, quo clangore tubarum corruerent moenia oppidorum.

Singula illa vitia, quae in Lich. Arct. sese invenisse credidit, jam examinemus:

1. *Cetrariam nigricantem* Nyl. credidi „sec. specimen unicum (l. paucissime) descriptam", tum quia inventor F. Nylander, plantis phanerogamis indagandis occupatus atque in lichenologia parum versatus, in itinere per deserta Lapponiae Rossicae instituto lichenes vix dubie obiter modo collegit secumque reportavit, tum quia inter species, quas e museo Fennico examinandi gratia recepi, unicum modo atque descriptioni Nylanderianae ad assem congruens specimen adfuit. Forsan erraverim, sed si „serius alia e Lapponia Kemensi examinaverit" Nyl., vitio hoc mihi non est vertendum. Equidem subsimilem stirpem Upsaliae legi, at specificam differentiam perspicere non valeo.

2. Vix vel omnino non differre mihi videtur, utrum (ut Acharius, Fries, Schärer, Körber cet.) scribamus: „thallo verruca centrali rimosa etc. instructo", an, ut vult Nyl., „thallo *cephalodio verrucaeformi* rimoso etc. instructo."

3. Contendit Nyl. me „nulla convictione sincera" niti, quum differentiam inter „gonidia" et „granula gonima" ab illo inventam ad genera distinguenda non adhibeam. Si „sincera" idem est ac „distincta" s. „certa", rectissime! Equidem omnino eadem pluries enuntiavi. Character enim, cui tanta adtribuatur vis, ut genera illo condantur, me judice debet esse, undique examinatus, stabilis bonusque visus, et melius porro mihi videtur dubia aperte sincereque afferre quam simulata certitudine celare. Nunc autem, perlectis scriptis Clarissimi Schwendener, aperte pronuntiare non dubito, quae semper credidi, nullam talem adesse differentiam inter „gonidia vera" et „granula gonima", qualem vidit Nyl.; utraque verae sunt cellulae neque carent haec membrana propria cellulari (Nyl. Syn. p. 9.) — Num ulla alia adsit vera gonidiorum differentia, sperare licet, auctorem nuper allatum, in lichenum anatomia examinanda sedulo atque felicissime occupatum, mox esse demonstraturum. — Non quidem ad novam tribum, sed ad novam subtribum (quae verba

Universitätsbibliothek Regensburg urn:nbn:de:bvb:355-ubr05976-0452-0

apud diversos scriptores persaepe idem significant) genus suum *Amphiloma* attulit Nyl., cujus subtribus nulla vera nota, ex ipsius verbis, mihi patet (cfr. Gen. Heterol. p. 62).

4. Vitio mihi vertitur, ni fallor, quod „sporas non vidi in quibusdam speciebus sat communibus“ (*Haemat. ventoso coccineoque*, *Gyrophora hirsuta*); dixi tamen modo me harum omnium sporas maturas non vidisse, quare dimensiones afferre nolui. Respiciuntur praeterea his verbis modo exemplaria arctica mihi obvia; in aliis sporas ipse vidi.

5. Gaudeo, Nyl. mihi adnuere declaranti „hypothallum fibrillosum atrum“ *Pannariae Hookeri* ad hanc plantam non pertinere; in speciminibus herbarii Wnbg. est *Sirosiphonis* species, ut jam indicavi.

6. *Homalean sagedioidem* Nyl. mihi omnino esse ignotam, expressis verbis ipse indicavi; Nyl. pro syn. *Rinodinae lecanorinae* Mass. eam declaravit. Ob locum natalem omnino diversum (illa ad terram alpium Dovrensium, haec ad rupes calcareas) ausus tamen sum hanc sententiam in dubium vocare atque de *Homalea* afferre: „nonne potius est *Dimelaena nimbosa*?“ (in alp. Dovrens. ad terram non rara). Respondet Nyl. „nihil commune“ adesse, mihique restat modo gratias agere, tum quia me de hac re certiorem fecit, tum quia conjecturam meam, etsi non veram „ingeniosam“ invenit. — Verba ejus si rite intellexi, defendit adhuc sententiam, *Rinodinam lecanorinam* esse apothecia *Buelliae* cujusdam, supra thallum „*Verrucariae tephroidis*“ parasitica. Num unum asseclam inveniet?

7. Citat Nyl. verba quaedam mea de *Aspicilia calcarea* — ea, quae maximi sunt momenti, tamen excludens. Quae (Lich. Arct. p. 131) legant alii lichenologi, et vix dubie illa non refutabunt. Notanda praeterea est mira illa modestia, qua de suis operibus loquitur; restat modo videri, num applaudant alii. Meam ut aperte enuntiem sententiam, facile declarari potest, cur scriptores (v. c. Acharius, Flörke, Wallroth, E. Fries, Schärer, W. Nylander in primis opusculis, aliique), quibus non cognitae fuerunt gravissimae illae notae e partibus internis desumptae quibusque microscopia omnino non adfuere vel manca saltem atque imperfecta, „res similes et maxime dissimiles mire commiscuerint vel disjecerint“ — at declarare vix licet, quomodo possit auctor hodiernus eadem omnino vitia committere (cfr. v. c. „*Lecideam vernalem*, *luteolam*, *parasemam*“ multasque alias in scriptis Nyl.) et insuper glorians progredi, veterum*) opera despiciens atque verbis vix convenien-

*) Inter veteres scriptores praecipue Patrem meum et Cel. Montagne

Universitätsbibliothek Regensburg
urn:nbn:de:bvb:355-ubr05976-0453-6

tibus conspurcans. — Perspicere porro non valeo, quo jure dicat: veteras „confusiones dein Nylander studiis suis haud parum extricavit, affinitates et distinctiones veras notis analyticis demonstrans; ita sine dubio etiam revera sentit superbus magister Upsaliensis, tamquam ubique in opere ejus elucet." Contraria vix dubie testantur omnia mea opuscula lichenologica, quamvis nonnullis locis sententias ejus, quum veritatem exprimere videntur, amplexus sim. — Allata verba affirmandi gratia, affert unum modo exemplum: *Aspiciliam calcaream* et *cineream*, a Nyl. pro formis ejusdem speciei declaratas, a me uni generi adscriptas, dignitate utriusque speciei specifica expressis verbis defensa (unde facile patet, veritatem minime invenisse Nyl. dicentem: „ita jam parum quidem abest, quin eas ambas sub una eademque specie concipiat, ut me omnino sequatur"). Gratus, quia hanc meam sententiam pro „progressu sine dubio notando" declarat, celare tamen nolo, meritum hujus rei neque ad me neque ad Nylandrum pertinere; jam Schärer (Enum. crit.) et Flotow (Lich. Flor. Sel.) ad unum genus tribumque has plantas retulerunt.

8. Melius credidi primi inventoris, Sommerfeltii, speciei cuidam servare nomen (protuberans), antiquissimum, optime conveniens et descriptioni eximiae adjunctum, quam Nylanderianum (carneopallida) recipere, sine descriptione propositum. Rationes attuli*) atque judicent alii; non aegre feram, si nomen Nyl. prae-

---

aggredi amat Nyl., ceteros fere tacite praeteriens. Permulta tamen vel plurima errata, quae in illorum scriptis invenit vel invenisse credidit, aliorum (imprimis Flörkei, Meyeri, Wallrothii, Schaereri) auctoritate nituntur. Quaeritur cur non „cuique suum"?

*) Nonne jure dici potest, Smrft., „auctoritate Acharii commotum", suam denominationem suppressisse, quum, ut Nyl. ipse dicit, ad sententiam inter suam speciem et *Lecan. carneoluteam* Ach. identitatis adductus sit hujus specimine Achario determinato. — Ad declaranda principia, quibus in nominibus adhibendis usus est Nyl., proponere liceat:

Parmelia carneolutea Fr. L. E. et S. V. Sc. =
1. verus *Lichen carneoluteus* Turn. = *Lecidea (Gyalecta) carnecolutea* Nyl.
2. Praecipue vero *Lecanora carnolutea* Smrft. Suppl. et exs. n. 148 = *L. carneopallida* Nyl., quod nomen censet servandum.

Calicium viridulum Schär. Enum. =
1. Verum *Calicium viridulum* Fr. = *Cal. disseminatum* var. *viridulum* Nyl.
2. Praecipue vero (exs. n. 295) *Acolium viridulum* D. Ncrs. = *Cyphelium lucidum* Th. Fr., quare nominandum *Trachylia* viridula Nyl.

Universitätsbibliothek Regensburg
urn:nbn:de:bvb:355-ubr05976-0454-2

ferre velint, nam gloria auctoris vix augetur illius nomine uni alterive speciei adfixo; Nyl. forsan aliter censet, quum animo vix aeque hanc nominis mutationem tulerit. Negare tamen vix licet, me me lioribus niti rationibus quam Nyl., quum v. c. nomen *Verrucariae muscorum* Fr. in *V. muscicolam* Ach. hb. transmutaverit; quas eandem sistere speciem facile perspicitur e specimine archetypo, quod „inter paucos (?) lichenes herbarium Fries. componentes olim vidit" vel videre potuit. Idem valet de mutatione *Calicii albidi* (Körb.) in *C. subalbidum* Nyl., *Cetrariae chrysanthae* Tuckerm. in *Platysma septentrionale* Nyl. e. s. p.

9. Non magni esse momenti semper censui, Nyl. duas *Lecideas panaeolas* diversas (Class. II. p. 122 et 184) attulisse, quare obiter modo, signis parentheseos inclusum (i. e. „avide" ex terminologia Nyl) hoc adnotavi.

10. Sub nomine *Lecideae myriocarpae* DC. varias species in herbb. inveniri, constat; specimine Candolleano neque a me nec ab alio lichenologo (quantum in scriptis vidi) microscopice examinato, hanc rem dijudicare non ausus sum. Forsan (et verisimiliter) est species a Cel. Dufour sub hoc nomine distributa, sed cum spec. Candoll. opus est comparatione; quam utrum ipse instituam, an alius lichenologus, parum interest (Nyl. verbo „mihi" adhaesisse illudque typis majoribus ornasse, aucupem syllabarum nimis prodit.) — Prodr. Lich. Gall., ultimum mihi cognitum opus, ubi plenius de hac stirpe loquitur Nyl., conscribenti — ipsius verba si rite intellexi — specimen Candolleanum non obvium fuerat.

11. Me de scriptoribus botanicis loqui, quum afferam neminem praeter Nyl. gelatinam hymeneam *Agyrii rufi* jodo vinose rubentem vidisse, unicuique facile patet (eadem ratione ac saepissime legimus: „species omnino nova", „stirps hactenus ab omnibus praetervisa vel commixta" e. s. p.) Quorum quis contraria attulit? — „Forte alii idem viderint ac pluries observavi", dicit Nyl.; quae verba me non refellunt.

12. Quaerit Nyl., num „honeste" sententiam ejus in Lich. Arct. p. 239 exposuerim; perlegant alii locum et judicent! Dixi genus *Lithographae*, sensu Nyl. primario, *Acarosporis*, *Biatorellis* e. s. p. (sporis habita ratione) aperte esse analogum, ideoque *Opegraphem petraeam* Ach. s. *O. tessellatam* DC. ex Nyl. (sec. spec. orig.?)

Calicium albidum Schum. = *Cal. trichiale* var. *epydrium* Ach. (ne ut var. quidem sejunctum), quare nomen Schum. rejicitur; quae quum ita sint, *Cal. albidum* (Körb.) in *Cal. subalbidum* Nyl. mutandum censetur.

Universitätsbibliothek Regensburg urn:nbn:de:bvb:355-ubr05976-0455-8

huic non posse adscribi sec. principia generibus admittendis a me agnita. Atque etiam si, ut dicit Nyl. Prodr. p. 195, „definitio generis (*Lithographae*) nonnihil mutanda" est, restat tamen definitio tribus (*Xylographideorum*) „thallo occultato aut parum conspicuo", atque jure tum licet interrogare, num „quisquam inter has possit quaerere species, thallo omnium *Graphideorum* optime evoluto praeditas." — Ubi praeterea dixi, Nyl. „definitionem generis *Lithographae* falsam dedisse in Prodr. p. 147"? E contrario nomen et definitio h. l. data mihi, auctoritate Cel. Anzi freto, videntur integra esse servanda neque „nonnihil mutanda".

13. „Nonnullae e speciebus ejus novis delendae", scilicet *Lecidea pallida*, *Arthonia trabinella*, *Alectoria Thulensis*, *Cladonia coralloidea*, *Biatora miscella*, *Peltigera scabrosa*. Quas singulas examinare lubet:

a. „*Lecidea pallida* est mea *L. Dovrensis*." Descriptio hujus speciei nunc mihi non adest, sed certe memini, illam in nostram speciem minime, in *L. alpestrem* (Smrft.) Th Fr. optime quadrare. Ni fallor, vidi quoque specimen Nylanderianum „*Lecideae Dovrensis* var. *stenoterae*", quo commotus hoc nomen sub *L. alpestri* citavi. Paucis — minime possum illi assentiri, nisi forsan meams plantam ad *L. Dovrensem* eodem modo et jure pertinere censeat ac v. c. (Class. II.) declarat: „Hae tres (*Lecanora athroocarpa*, *cenisea* et *glaucoma*) a *L. subfusca* non vere specie differant" etc., cujus progrediendi modi abunde praebent illius opera exempla.

b. „*Arthonia trabinella* est mea *A. mediella*". Laetus, quod dignitas specifica huic plantae non est denegata, ingenue fateor, me illius nomen „*mediellae*" nunc prima vice vidisse. Neque enim in Synops. Arthon. nec in Enum. génér. d. Lich. adest.

c. Ad *Alectoriam Thulensem* Th. Fr., cui in Lich. Arct. dubitans adscripsi *Cornicularíam ochroleucam* β *nigricantem* Ach., revera sec. Nyl. hoc nomen pertinet. De qua re mihi jam antea fuisse persuasum, patet e Miscell. Lichenol. Ratisbonam missis, priusquam Flora n. 24 Monachium advenit. Nec vitio vertendum, me specimen originale Acharianum non vidisse — vel saltem minus reprehendendum quam confusio hujus speciei atque *Cornicularíae divergentis* valde diversae (Nyl. syn. p. 279).

d. *Cenomyce coralloidea* Ach. „omnino alia" sec. Nyl. est planta quam *Cladonia coralloidea* Th. Fr. Lich. Art. (at quaenam sit nec h. l. nec in Synops affert); idem ipse suspicatus sum, ut e verbis meis (Lich. Arct. p. 148) abunde patet. Quo autem jure „verum

Universitätsbibliothek Regensburg urn:nbn:de:bvb:355-ubr05976-0456-3

nomen" hujus speciei sit *Cl. decorticata* *), non intelligo; Nyl. ipso teste, *Cl. decorticata* Flke. (i. e. primaria) non huc pertinet (eam formam esse „extensiorem furfuraceo asperam *Cl. pyxidatae*", concedere non possum) neque *Cl. decorticata* Fr. L. E. p. 226 „pr. p." huc referri potest (cfr. L. E. p 218 et 227), etsi Nyl. (Syn. p. 199) ita affirmat. Si igitur Nyl. jure rejecit *coralloideae* nomen, iisdem omnino rationibus rejiciendum est decorticatae; satius forsan sit nomen recipere Schaererianum *macrophyllae*.

e. „*Lecidea miscella* Smrft., Th. Fr. (non Ach.) est mea *L. miscelloides*. Jam ipse dixi (Lich. Arct. p. 194): „Ach. nomine *Lec. miscellae* vix hanc speciem respexit et sec. Fr. varia commiscuit." Si autem nostrae plantae nomen *miscellae* non servandum est, duabus rationibus Nylanderianum non potest admitti, nam et *Biat. Berengeriana* Mass. Rich. p. 126 (sec. spec. orig.) est synonymon multo antiquius, et „*miscelloides*" est hybridum, Latino-graecum, qualia nomina monet Linnaeus esse spernenda.

f. „*Peltigera scabrosa* Th. Fr. est *P. pulverulenta* Tayl." — Forsan recte; descriptio in Nyl. syn p. 325 nonnihil tamen recedit. Quod nomen mihi, Lich. Arct. conscribenti, non cognitum fuit, quod vix vituperandum, quum species distincte arctica non mihi videretur in Columbia quaerenda. Rem in medio relinquo.

14. Contendit Nyl., me nihil afferre „de indole apotheciorum interna (ex gr. in *Lecideis*) vel de colore hypothecii" — et quaerere fere licet: num opusculum vituperatum vidit?" — Ubique enim (praecipue in *Lecideis*) omnes apotheciorum partes descripsi, ubi ad species distinguendas illis inest differentia alicujus momenti.

15. Quaerit demum Nyl., „cur nomina generica Normanniana resuscitat auctor", et responsum facillime invenire potuit: in nominibus genericis eligendis semper legem prioritatis religiose servare conatus sum, quare etiam in meis scriptis inveniuntur varia nomina Nylanderiana, „in schola Massalongo-Koerberiana" vulgo non adhibita. Quae praeterea de hac schola affert, ejusmodi sunt, ut tacite mihi videantur praetereunda; quam falsa sint, omnibus lichenologis perbene est cognitum.

16. Omnibus jam ejus „animadversionibus" examinatis, ad collectionem augendam seorsim adnotare lubet nonnulla ex telis illis, quibus adversarios fore perculsos credit speratve; iterato tamen usu complura tamen jam sunt hebetiora, quam quae vulnera possint in-

*) Quid significent verba „vide supra p. 53" et „supra p. 200" detegere mihi non contigit.

Universitätsbibliothek Regensburg
urn:nbn:de:bvb:355-ubr05976-0457-9

fligere. Inter ea, quae nuperrime in me emisit, inveniuntur: „insinuationes torquentes et pueriles", „audacia singularis", „infausta titillatio me vituperandi", „manca omnino methodus elementaris in lichenibus examinandis", „imperitia in elementis gonidialibus distinguendis, quod puer quidem mox discernere valet, si ei explicatur", „ubique apud auctorem Upsaliensem ejusmodi imperitia", „sententia turbida et vacillans", „superbus magister Upsaliensis", „auctor in nugis talibus excellit", „rem torquere velit", „libenter sibi Herculis faciem dare voluit", „contumeliis opus habuit," „methodus manca" e. a. p. — fere in infinitum. Atque haec omnia in quatuor paginis cumulata!

Dabam Monachii die XXVI. Julii MDCCCLXI.

Dr. Th. M. Fries.

Société de secours des amis de sciences. — Compte rendu de la 4e. séance annuelle tenue le 27. Mars 1861.

Die projektirte Gründung einer Unterstützungskasse für Naturforscher auf Anregung Dr. Rabenhorst's veranlasst uns, mit den Lesern der Flora von der in Paris seit vier Jahren existirenden Gesellschaft zu sprechen, obschon die Thätigkeit der bereits bestehenden und der nächstens zu gründenden Gesellschaft weitere Kreise umfasst, als diejenigen in denen sich die Flora bewegt.

Thénard bestimmte 20,000 frs. zur Gründung der in Frankreich bestehenden Gesellschaft; sein Zweck war, unbemittelten oder durch Unglück heimgesuchten Naturforschern zu Hilfe zu kommen. Ein Comité bildete sich; er erliess einen Aufruf an alle, die, besonders in den industriellen Kreisen, gewöhnlich den grössten Nutzen aus den Entdeckungen der Naturforscher ziehen. Dieser Ruf ward gehört: mehrere grosse industrielle Anstalten, die Verwaltung von sechs französischen Eisenbahnen (jede mit 5000 fr.), verschiedene Handelskammern oder Particulare etc. betheiligten sich, und so brachte man 128,174 fr. zusammen, mit denen sich die Gesellschaft am 1. März 1858 constituiren und um die durch das französische Gesetz geforderte Ermächtigung einkommen konnte. Der ursprüngliche Zweck war, den französischen Naturforschern oder ihren Familien, die sich in bedrängten Umständen befinden, zu Hilfe zu kommen. Sobald es der Stand der Kasse erlauben würde, sollten diese Unterstützungen

Universitätsbibliothek Regensburg urn:nbn:de:bvb:355-ubr05976-0458-5

ZOBODAT - www.zobodat.at

Zoologisch-Botanische Datenbank/Zoological-Botanical Database

Digitale Literatur/Digital Literature

Zeitschrift/Journal: Flora oder Allgemeine Botanische Zeitung

Jahr/Year: 1861

Band/Volume: 44

Autor(en)/Author(s): Nylander William

Artikel/Article: Animadversiones circa Th. M. Fries, Lichenes Arctoi 449-456